

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0100

0098

0104

0094

89

ergo asinarii in (B) Jerusalem descendentes per viam inferiorem, cum quibus multi peregrini redierunt, qui festinabant ad cibum coctum et ad loca quietis. Siquidem ab egressu nostro de Jerusalem usque ad redditum non gustavimus cibum calidum; major tamen pars mansit in Bethania, cum quibus et ego mansi, et forte nulli remansissent, si ego eos non induxissem. Cum ergo illi a nobis recessissent, exivimus et nos de Bethania et ante viculum inscii venimus in unum Sarracenorum coemeterium, per quod transire necesse erat, vel circuire; transivimus ergo. Et ecce mulier sarracena a longe stans et videns accurrit ad nos et cum clamoribus magnis nos inclamavit et cum lapidibus contra nos jecit, ejiciens nos de coemeterio. Cum festinantia ergo aufugimus, ne ad clamores alii Sarraceni accurerent et nos vexarent; non enim possunt sustinere, quod supra sepulchrum suorum mortuorum calcemus, ut patet fol. 82 in artic. 3. Venimus ergo ad viam, quae dicit super montem Oliveti, per quam Dominus Jesus in die palmarum sursum ascendit. Cum devotione ergo, silentio et oratione ascendimus per hortos ficorum. Ad unum autem hortum venimus, in quo vidimus maturas fucus magnas, blavii coloris. Duo autem hortum ingressi cum arbores ascendissent, advenit una vetula eosque cum lapidibus et clamoribus de horto expulit, portaverunt tamen nobis de fructibus illis, de quibus jejuni manducavimus, et progressi sumus adscendentes per clivum sursum. In hac via invenimus multos sparsos lapillos quadratos, de polito marmore et vario, et quidam frater extra viam modernam nos duxit, et ibi reperimus pavimentum campi stratum polito marmore et vario. Siquidem S. Helena omnes vias, per quas noverat Dominum Jesum transvisisse in hebdomade poenosa, marmore stratas decoravit a Bethania sursum usque ad montem Oliveti, et ab alia parte deorsum usque ad portam auream, et illius structurae manifesta vestigia multotiens reperi, et praesertim, quando quis extra viam ad latus ascendit. Est enim via moderna profunda ex frequentia itinerantium facta, et dum quis ad latus adscendit, et manibus superius terram ejicit, et foramen facit, invenit marmore polito antiquam viam stratam. Haec ego ipse experientia didici ita esse etc.

0109

0089

0149

0049

0199

0599

1099

Ende

Anfang

